

DIATRIBE PHILOSOPHICA
x 1876682 Exhibens
QVINARIUM PROBLEMATICUM

158
II i
1225

De
**INTELLIGEN-
TIARUM QVIBUSDAM
ACTIONIBUS,**

Quam
AUXILIO TER SANCTI ET IN-
FINITI SPIRITUS,
SUB PRÆSIDIO

V I R I

Præcellentis atq; Præclarissimi
DN. M. GEORGII VVAGNERI

Amplisf. Eacult. Philosoph. Adj. Meritissimi Fau-
toris & Præceptoris sui Colendi,

In Electorali ad Albim Athenæo celeberrimo

Placide Φιλοσοφῶν collationi subicit

ELIAS WUNSCHE

Zittâ Lusatus

A. & R.

In Auditorio Majori

ANNO M. DC. LXVI.

Ad diem 22. Septemb. horis matutinis.



Wittebergæ, Typis JOHANNIS BORCKARDI.

38 + R 17



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, EXCELLEN-
TISSIMIS, CONSULTISSIMIS, PRU-
DENTISSIMIS

Inclytæ Zittaviensium Reipublicæ

DN. CONSULIBUS,

DN. JUDICIBUS,

DN. SENATORIBUS,

PATRIBUS PATRIÆ,

Moecenatibus & Patronis suis Opti-
mis Maximis,

Hoc quælibet Studiorum suorum specimen

*In Pietatis & Observantia Sym-
bolum, quo par est, vene-
rabundo submissoq; animo*

consecrat

ELIAS Wünsche /

Autor & Respondens.



Aspirante Spiritu infinito,

Angeloq; juvante increato!

PRÆLOQVIUM.

SI quicquam usquam existit, cujus cognitio juxta Spiritum illum infinitum, qui solus Deus noster est gloriosissimus, juvare sive potest sive debet nostram mentem; Mentis finita completa, quas cum Theologis Angelos hodie nuncupant Philosophi, illud ipsum esse non immerito judicantur. Illæ namque sunt, quæ ut purissimæ Creatoris sui nostriq; simplicitati longè maximè accedunt, ita omnium quoq; creaturarum reliquarum ducunt familiam. Quamquam verò secundum πολυβούλητον illud δυσκολὰ γὰρ καλὰ, difficultatem inesse hoc in negotio abundè testentur, tùm rei ipsius à sensib; doctorib; ductoribusq; in quamlibet expeditiorem notitiam, distantia, tùm diversissima tot eruditorum hominum divortia, inq; contrarias hac de materia sententias prolapsiones; tamen tantam esse non opinamur, ut adhibito solerti rationis scrutinio vinci aut superari nequeat. Unde plus tribuentes rei hujus dignitati, quam obscuritati, nec non temporis pariter inservientes opportunitati, constituimus jam cum animo nostro, altum adire, & de Angelorum operationibus problemata quædam in medium explicata, pro viriculis ingenii breviter excutere atq; decidere. Quod ut feliciter fiat, Numem spirabile faxit!

PROBLEMA I.

Quodnam sit ubi intelligentiarum?

§. I. **E**T si plurimas paginas implere non foret difficile hanc quæstione materiam suppeditante, tamen summam venari breviter placet, & modo non nihil de ubi etate horum Spirituum ex-

plicare. Dicimus igitur Angelos non esse in ubietate interminabili s. ubiuitate, ut solus Deus est ubiq; repletivè; *neq; in ubi circumscriptivo*, quod proprium est corporum Physicorum; sed in ubi Definitivo, quod ubi est, quo Angeli spacium determinatum, sed illocaliter obtinent, ut hic & ibi, nempe in ubi adæqvato, totali & separato, simul esse non possint.

§. II. Probamus autem alicubitatem s. finitam ubietatem, I. Ab essentia *finitate*. Quia enim Spiritus est finitæ essentia, ergò etiam finita ubietate s. a essentia gaudet. Quâ occasione etiam simul hoc adjicimus, ubi illud non esse *imaginarium*, sed reale & prædicamentale contra Fonseca l. 5. Metaph. Bellovisium, Thomistas, &c. Quia (1) Angeli essentiam realem prædicamentalem habent, quo posito, modum essendi sequitur modus a essendi. (2) Quia sunt in ubi ante operationem s. fictionem intellectus. II. *Ab ubi variatione*. Nam Angeli habito ubi dimisso, aliud ubi acquirunt, utpote qui sunt finiti viventes hic & alibi operantes; quod probatur *ab anima rationali*, quæ unita corpori, intra corporis spactum tantum operatur: separata verò, distinctum *æq; a priori* tenet. Ita & Angelus, nunc in assumpto corpore, nunc extra illud operatur. Dum autem variare dicimus intelligentias Ubi suum, pariter de motu, ut aliquid memoremus, non alienum est: Ac quidem hic dissentimus à Durando & Thomistis, statuentibus ad *motum corporis & mediante corpore* tantum moveri Angelos, affirmantes contra, per se eodem moveri; (1) Quia cum intentione moventur. (2) Quia sunt principium motûs in aliis, ideò & ipsi se movere possunt. De modo autem motûs, cum non sit instituti nostri, nihil nisi verbum hocce proferimus; posse intelligentias se aliaq; movere non *physicè* juxta Scristas referente Pererio lib. 2. de Phil. nat. c. 2. sed *analogicè* spiritualiter, subtiliter & velocissimè, ratione ferè inexplicabili & imperceptibili, perinde ac lumen vel fulgur in momento aerem transiens, ipsius quamvis partem implet.

§. III. Proinde quis non videt errorem Weigeli, aliorumque similis sententia Patronorum, affirmantium, Angelos Deo æquales esse creatos, a deo que omnipræsentes, & alibi Weigelius ait: Angelum secundum Angelicam substantiam esse ubiq; juxta corpus

us verò adscitum Angelum, qui est in Persia, non esse in Græcia. Non dissimilem admodum Durandi quoque opinio insigni errori obnoxia est, asserentis, Angelum ubiq; ubi Deus est, adesse, ita tamen ut modo adhuc diverso fiat, atq; Deus adsit ceu causa conservans: Angelus verò in quantum movere potest. Thomas item nusquam esse dicit Angelos, præterquam quando circa locum operentur. Hinc tamen non concludendum est, ac si propterea peculiaris domicilio aut cælo, nullibi nisi in Reformatorum cerebro existenti, vel in cælo Empyreo juxta Pontificios, inclusi commorentur. Arguendi h. l. quoq; sunt complures alii, qui ubi intelligentiarum non reale, sed imaginarium tantum esse persuasi sunt, ut Cajetanus, Hervæus, Capreolus, &c.

§. IV. Præterea, ubi etatis cum præsentia affinitate pariter atq; revelationis etiam medio adducti adhuc de præsentia Angelorum, adjungimus, non fortè quod juxta Pontificios unicuique hominì peculiarem Angelum certo assignandum censeamus, cujus opinionis fontem esse Stoicorum de geniis commentum Seneca docet Epist. CX. neq; quod binos Angelos, bonum alterum, alterum malum cuiq; homini præsentis adstruere velimus cum Aut. imperf. oper. in Matth. hom. V. sed quod inter alias causas, ob hanc quoque conditi sint Angeli à clementissimo hujus universi opifice, ut præsentis hominibus præesse & prodesse debeant, imò quod sint Spiritus ministratorii, emissi, in gratiam salutis hæreditate aliquando donandorum. Unde verè licet asserere: Angelus est nullus, quoniam tuus Angelus adstet.

PROBLEMA II.

An cognitio intelligentiarum ad cognitiones humanas sese extendat?

§. I.

Quam variae quæstiones obviæ sint atque agitentur, tum de principio cognitionis Angelicæ, tum de objecto, tum de modo cognoscendi, in scholis Philosophorum prolixè licet percipere.

B 3

Quæ-

Quæritur enim intelligatne Angelus per animam an per essentiam? Cognoscatne seipsum & sui similes? Cognoscatne per species, per compositionem & divisionem, per discursum, &c. Nobis in præsentiarum illa ad palatum erit, quam tituli vice appositam vides.

§. II. Attamen quia distinctè progrediendo rectius & discitur & docetur, libet dum licet, statim aliquot distinctionibus præmissis dubitationis aut confusionis occasione prævenire. Ideoque

(1) Dist. inter Angelum *sensu Scripturæ* vel pro Angelo fœderis vel Magistratu & Sacerdotibus, & sensu naturæ pro substantia finita immateriali acceptam. (2) Dist. inter *cognitionem propriam*, & *manifestationem acquisitam*: de illa, an Angeli per se, & naturâ suâ, non de hac, quæ fortè vel à Deo, vel ab ipsis hominibus revelari potest, quæstio sonat. 3. Dist. inter *cognitionem cogitationum* mentis humanæ, quâ cogitationes; & quâ per effectus & opera vel alia indicia aut gestus sui notitiam quasi produunt.

§. III. Atq; sic nunc respondemus, Angelorum cognitionem non penetrare hominum cogitata, quâ in intellectu a. voluntate remanent; idq; dicimus his innixi rationibus: I. Quia Angeli non sunt omniscii, sed finitâ tantum præstant scientiâ: Unde fuit argumentum: *Quicumq; non est omniscius, ille cordis humani cogitationes cernere non potest. Atqui Angeli non sunt omniscii.* E. Majorem probamus inde, quia *καρδιόγνωσις* est solius Dei omniscii, & non cadit sub scientiam terminatam. Minor manifesta est, quia Angeli non prorsus sunt puri, & ab omnimoda compositione a. potentialitate liberi. Aliàs quidem inficias non imus, Angelos multis parasangis humanam superare scientiam, at enim à divina omniscientia, quam longissimè adhuc recedant. II. Quia neque *intuitive*, neque *discursivè κατ' ἀναλογίαν*, cogitationes hominum perspiciunt. Ex quo talis nascitur Syllogismus: *Si Angeli cogitationes humanas cognoscunt, aut intuitive aut discursivè eas cognoscunt. Sed neutro modo cognoscunt. E. planè non cognoscunt.* Major omni caret dubio. Notum enim est Angelorum notitiam his duobus modis absolvi, ita ut quicquid cognoscunt, id vel *intuendo* vel *discurrendo* percipiant. Minor etiam facili negotio demon-

mostratur: Non enim simpliciter intuentibus ipsis patet mens humana, quia non necessario sed liberè cogitat, Angeli verò tantum necessaria & res naturales tali cognitione attingunt. Neque discursu recondita humanarum meditationum perscrutari valent, quia ad discursum requirunt nota quaedam, ex quibus ignotum eliciatur, sed verò Angeli non semper cognita habent aliqua de mente humana, ex quibus ulterius colligant, cum non semper homines internorum conceptuum indicia in se reperiri patiantur.

PROBLEMA III

§. IV. Dicam igitur scribimus illis, quibus contrarium ductu opinionis erroneæ defendere non displicet. Objicitur quidem: *Si Angelus per speciem intelligibilem potest cognoscere hominem, Petrum, Leonem, ergo etiam potest per speciem acquirere cognitionem cogitatorum.* Nam horum, in quantum cognoscibilia sunt, par est ratio, ita quidem ut inter cogitationes tanquam immateriale quid, & inter intellectum Angelicum aptior sit congruentia, quam inter eundem, & res materiæ immerfas. Verum enim verò pensitandum hic loci est, objectum quoque debere concurrere, & ad ejusmodi speciem spargendam esse propensum: Quis a. non advertit, objectum quod hic sunt cogitationes s. mens cogitans, non *consentire*, sed pro libertate ob voluntatis interventum potius resistere atque occultare sua secreta: Et si fortasse velit explicare eadem, explicet per signa vel per organa eum in finem sibi concessa. Ergo patet hinc negata specie intelligibili de cogitationibus hominum, negari rectè quoque ipsam intellectiōnem respectu Angelorum. Speciatim ob dicta hæc evanescit etiam sententia Durandi 2. d. 3. q. 5. censentis, fugere quidem Angelos cogitationes futurorum, minime tamen de præsentibus in intellectu hærentes. Hic ulterius etiam mentionem merito facimus Apuleji, qui possit alicui videri adversarius sententiæ nostræ, dum cogitatorum esse testes demones, s. Angelos ex Platone refert. Verba ejus notatu dignissima hæc sunt: Ex hac sublimiori dæmonum copia Plato autumat: singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos additos, qui nemini conspicui, semper adsint omnium non modo

modo actorum testes, *verum & cogitatorum*. Et idem Apulejus denuò inquit: Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam sententiam, me interprete, auscultatis ita animos vestros ad quæcunqve vel agenda vel meditanda formate, ut sciatis nihil omninò præ istis custodibus, *nec intra animum*, nec foris esse secreti, quando omnia curiosè ille participet, omnia visat, omnia in illis penitissimis vice conscientia diversetur, hæc ille gentilis Apulejus egregiè scripsit, quæ tamen nostræ thesi nihil derogant.

PROBLEMA III.

An & quomodo Angeli loquantur?

S. I. **D**uo videlicet hac ipsâ in quæstione involvuntur. Alterû de rei veritate & certitudine agit, an Angelis locutio rectè assignetur? Alterum de modo & ratione istius loquelæ Angelicæ, quomodo nimirum fiat, inquirat. Priusquam verò animi nostri sensa de proposita quæstione exposita & confirmata demus, haud præter rem nos acturos arbitramur, si præmissis pauculis ambiguitatem terminorum tollemus, ut statu controversiæ planius ac plenius illustrato, in assertione nostra tutius procedere possimus. Primò (1) itaq; non quæritur h. l. de *non repugnantia vel potentia*, an Angeli possint sive inter se sive cum Deo colloqui? Sed an de facto ipsi facultas effandi competat. Neq; (2) de *Angelo increato*, aut de *Angelo propter óinovouíav vel Ecclesiasticam, vel politicam sic dicto*, nunc solliciti sumus, id quod fori potius Theologici est: sed de Angelis qui sunt Spiritus creati à corpore independètes. [3] Non res est nobis de *Angelis corpore assumpto* ad tempus certo officio fungentibus, sic enim concessis ipsis requisitis atq; organis ad locutionem, concedendum quoq; erit ipsum eloquium: Sed de *Angelis quæ sunt & manent Spiritus immateriales incorporei*. (4) Minimè quoq; nos intelligere constat ejusmodi locutionem *tropicam, metaphoricam*, quæ creaturis irrationalibus rebusq; inanimatis tam in sacris quàm profanis scriptis attribuitur, sed *propriam & veram* intelligimus. Denique (5) Discrimen quoque faciendum est inter *locutionem communem physicam humanam & strictè dictam* cujus

cujus instrumenta juxtà Physicos sunt *tum principale* scil. lingua, *tum minus principalia* veluti sunt aspera arteria, pulmo, palatum, labadentes quibus mediantibus vocis efformatio fieri solet; & *inter locutionem peculiarem, analogicam, angelorumque, natura congruentem*: hæc insinuatur hic loci, quæ nihil aliud est, quam externa aliqua angelorum actio, quæ ipsi vel sibi invicem vel aliis semet aut superioribus aut inferioribus conceptus suos aperiunt. Quemadmodum rectè Thomas 1. part. q. 107. art. 1. sermonem ita describit. Nihil aliud est loqui ad alterum, quàm conceptum mentis manifestare alteri.

§. 2. His ita præmonitis ad ipsam responsionem accingimur, atque quando quæritur, An & quomodo Angeli loquantur? Resp. Affirm. I. Quoad prius quidem membrum: nostræque assertionis robor hæc subjungimus. [1] *Quicumque, internos habet conceptus, ille potest quoque loqui, Atque, Angeli habent internos conceptus, E. Angeli possunt loqui.* Majorem stare talo suo, inde patet, quia tali consequentia non valente gratis formarentur conceptus, atque actio angelorum frustraretur one suo. Minorem autem negatum iri à sanioribus, persuasi haut sumus, cum angelis intellectio & conceptuum formatio vel maximè propria sint. [2] *Qui sunt cives, illi conceptus invicem communicant.* Societas enim inter eosdem servari non potest sine communicatione animi sensorum. At angeli sunt cives, Sicut enim ipsi peculiarem Entium ordinem constituunt, ita quoque ordinem inter ipsos vigere necesse est. [3] *Angelorum conceptus aut omnibus patent, aut non patent.* Prius dici nequit, cum quilibet non haberet propria mentis cogitata. E posterius erit asserendum. Sin vero non patent angelici conceptus manifestandi erunt iisdem. Modus autem commodior esse nequit, quam locutio seu conceptuum communicatio. [4] Si substantia incorporea incompleta (scil. in homine) pollet facultate loquendi, multo magis substantia incorporea completa eadem pollet, Atque verum est prius, E & posterius. Major claret, quia oratio tum simpliciter, atque ita in ipso etiam Deo conceptum & voluntatem suam manifestante, tum in homine magna omninò perfectio est, jam si ea hominibus non denegatur, multo minus angelis deneganda veniet, quin imò tantò magis

B

hisce

hisce spiritibus tribuenda est, quanto longius à materiâ, præ istis se-
gregati sunt, adeoq; illos antecellunt. Minor probatione non e-
get. (5) *Si angeli habent intellectiōem, habent quoq; locutiōem.*
Atq; angeli habent intellectiōem. E. Major in dubium vocari non
potest, utpote cujus connexionem argumentandi genus Logicum à
majori ad minus satis confirmat. Si enim intellectiōem obti-
nent, etiam facultate sensa sua communicandi non destituentur.
Minor suâ luce radiat, nam intellectiōem angelorum actionem
principalem maximeq; internam esse certum est. II. Quod
ad modum attinet, quo scilicet Angeli loquentes utantur, in varias a-
beunt Autores opiniones, nec voto vivitur uno. *Alii conceptus an-
gelorum per suam ipsorum voluntatem ita ordinari sentiunt, ut unius
mens alteri intuenti innotescat, de quo vid. Thom. 1. p. q. 107. art. 1.*
*Alii spiritali nutu & signis humanas voces certa proportione quasi ex æ-
quantes, fieri angelorum loquelam existimant. Alii effectivè per im-
pressionem conceptuum propriis conceptibus similibus, ut Scotus 2. d. 9.
q. 2. Alii per voces ex aere concinnatas uti Molina q. 106. sentit. A-
lii per characteres, quos in cœlo forment angeli, vid. Durand. 2.
d. 11. q. 2. Alii ut recenset Vasquez. T. 2. q. 72. art. 4. disp. 211. c. 11.
angelos putant loqui nudo saltem intellectu, per cognitionem ut
ajunt, super actus intellectûs reflexivam. Licet autem & nos ul-
tro profiteri cogamur hac in re imbecillitatem nostram, annotamus
tamen ex mente cujusdam Thomistæ, quod *sicut homo homini per ex-
pressionem vocis conceptûs suos explanat; Sic angelus per impressionem
speciei intelligibilis id præstare possit, tunc scilicet actum suum interio-
rem alteri manifestando, cum illi imprimit speciem intelligibilem
intrinsecè repræsentantem actûs interiores. Unde communis Do-
ctorum v. c. Aleusis p. 2. q. 27. memb. 3. & 5. Bonnavent. in 2. diet.
10. art. 3. q. 1. Gabriel. 2. dist. 9. q. 2, art. 4. Becani part. 1. Theol.
Scholast. 10. 3. q. 14. §. 2. Svarez. in part. 1. Thom. l. 2. c. 37. 11. 39.
Scheib. Jacob. Martin. Scharf. Bechmanni, Classenii &c. de mo-
do loquelæ angelicæ, sententia est, quod *intelligentia sibi mutuò
(Deo enim directione actus sui ad eum collaudando, aliquid ab e-
odem impetrando, majestatem ejus admirando) loquuntur per im-
pressionem specierum intelligibilium, ita ut effectivè imprimant alteri*
conce-**

conceptum, illi, quem in suo habent intellectu, similem.
Diff. autem hic inter *probabilitatem & infallibilitatem.*
Hunc modum loquendi Angelis convenire probabiliter
asseritur; non verò infallibiliter demonstrari potest.
Proinde observare hic licet differentiam inter locutionem
angelicam & humanam, nempe homo non intuetur in
alterius hominis sibi loquentis actum interiorum, sed sal-
tem in voce ceu signo non tam penitus cognoscens, quàm
credens duntaxat acquiescere, necesse habet. Unde in-
simul elucescit, angelos sibi invicem imponere mendaci-
is neutiquam posse, cum omnia evidenter perspiciant &
intuitivè alter alterius mentem cognoscat.

§. 3. Minimè tamen omnium hinc inferendum est
quod propterea angeli cum materia concreti debeant con-
cedi, cum locutionem ipsis largiamur, atq; adscribamus.
Non enim nisi straminea est talis ratiocinatio: Quicumq;
loquitur ille est corporeus, Atqui Angeli &c. E. Siqui-
dem ut paulo ante præoccupavimus, inter locutionem
strictè dictam, & analogicè talem distinguatur oportet. Si-
militer nec modi perplexioris & subtilioris inexplicabili-
tas ansam nonnemini præbere debet, rem ipsam in du-
bitationis aleam trahendi, angelisque veram locutionem
derogandi.

Problem. IV.

An Intelligentia possint miracula edere.

§. 1. Est illud, quidem tritum satis diverbium; Qui
credit facilè, facilè decipitur. Nihilo minus tamen res
ipsa edocet, non deesse vel ingentem partem mortalium
qui nimium quantum faciles in credendo existentes *μυρτα*
οτέχης illius Satanæ ita fascinantur glaucomatibus, ut non
solum illum miraculorum effectorem falsò arbitrentur,
verùm semet etiam ejus ope operaqve adjutos miracula
posse edere somnient, unde præcipuè Sagæ vetulæ vel ni-

gromantici quicunq; spiritui isti nequissimo] se consecra-
re non horrescunt.

§. 2. Nos igitur damnantes ejusmodi credulitatem
superstitiosissimam & perniciosissimam, præsentem quæ-
stionem non incommodè instituimus. Ante responsio-
nem tamen hæc, quæ sequuntur, prænotata volumus. (1) *Quoad vocem intelligentiæ.* Intelligentiæ vocantur angeli
ab intelligendo, & quidem in abstracto, observante Scali-
gero, Exerc. 359. *ob perfectionem intellectus, & excellentissi-
mum modum*, quo nos superant: Nequaquam tamen eam
ob causam, ac si ipsa essentia eorū esset intellectus, aut in-
telligerent per essentiam, quod solius Dei est, atq; hinc li-
cet concedatur intelligentiis ingens valde intellectus per-
fectio, attamen comparatè tantum non absolutè loquen-
do, unde jamjam aliquid ad miraculorum editionem an-
gelis demi & denegari putamus. (2) *Quoad potentiam.*
Non detrahimus intelligentiis suo modo scil. *resp. liberta-
tis* indeterminatam, siquidem potentissimi sunt spiritus, i-
mò sufficientes ad universam mundi machinam, annuente
interim divinâ providentiâ, perturbandam, *interminatam*
tamen ipsis tribui posse, est quod pernegamus. (3) *Quo-
ad miracula.* Largimur angelis *effectus inusitados & pro-
digiosos* s. mirabilia, *non item miraculosos* s. miracula. Nec
non (4) *Dist. inter miracula ἀληθῶς seu ratione rei, &*
Φαινόμενως seu ratione nostræ ignorantia talia: ut & (5) in-
ter editionem miraculorum à virtute propria & aliena
profectam.

§. 3. Ita breviter terminorum quorundam explica-
tionem profecuti, respondemus negando, *Intelligentias*
tantâ sapientia & potentia excellere, ut visua natura verè
miraculosos effectus valeant producere. Probationum loco
unicam censemus sufficere rationem, nimirum dependen-
tiam intelligentiarum tum in essendo tum in operando.
Jam itaq; si intelligentiæ tali ratione dependent, finitæ quo-
que sunt, si finitæ sunt, infinitæ virtutis opera efficiendi
copi-

copiam nullatenus obtinebunt. Verissimum autem est
est ad miracula vera necessario requiri infinitam po-
tentiam, nec miracula sunt appellanda ea effecta, quæ à fi-
nita virtute proficiscuntur. Adjudicentur igitur intelli-
gentiis excitationes tempestatum tonitruum, inundatio-
num, imo defunctorum corporum, transformatio specierum,
ut hominis in lupum s. felem, & contrà, & quæcunq; fingi
aut pingi queunt; nulla tamen miracula propterea edidisse ipsæ
dicendæ sunt: Quæcunq; quippe, & qualiacunq; faciunt,
omnia aut *prestigatoria & fictitia aut naturalia sunt,*
ubi applicant activa principia passivis, quandoquidem
spiritibus istis clarissimè perspecta sunt, tum ordines vir-
tutesq; causarum naturalium, tum astrorum influxus atq;
adspectus, tum materiarum dispositio, adde quod move-
re loco, cedere, cogere compellere & disponere causas illas
possint, ut exinde provenientes actus vel *quoad rem,* vel
quoad modum ad minimum miracula simplicitati homi-
num appareant.

§. 4. Ex his judicare facile est de præpostera illa
persuasiōe, quæ vulgo *λυπανθρωπία* leviter creditur. Vi-
delicet figmentum est atq; fraus magistri istius *μυρολέχου*
quæ stolidas hominum mentes dementat. Nihil enim
Intelligentiæ efficiunt, nisi ex causa naturali vel materia
habili. Est verò forma specifica hominis prorsus inha-
bilis fieri lupina, & vice versâ. Nam [1] ab ipsis anni-
hilanda esset forma substantialis lupi a. felis [2] unio na-
turalis inter animam & corpus hominis solvenda, & [3]
cum corpore lupino unienda. Non dicam [4] de redu-
ctione animæ rationalis cum corpore humano, quando
dicitur quod illi, qui antea fuerunt lupi aut feles, rursus
converti queant in homines. Sed omnia atq; singula hæc
excedunt finitam finiti spiritus potentiam, cum unicè
ab infinita proficiscantur virtute. (1) Annihilare enim est
omnipotentia. Is enim in nihilum redigit, qui ex nihilo
rem produxit. (2) Unionem quoq; naturalem, non nisi is

qui connexuit principaliter, ut princeps causa solvere va-
let. (3) formam improporcionatam corpori, itidem non nisi
per miraculum omnipotens unire potest. Imò (4) ad re-
duntionem animæ à corpore solutæ, itidem divina, non
Angelica requiritur potentia. Et si transformaret dæmon
formam humanam in lupum vel felem, *aut annihilaret eam
aut non reverà transformaret*, Sed æquè non annihilare
ac non creare potest, igitur plane non transmutat. Quem-
admodum neq; baculi Ægyptiorum Magorum realiter
transversos esse in serpentes Physicos credere fas est, quod
quidem verè & Physicè de Aaronis baculis asseritur, vid.
Runigium in Exod. cap. 6. p. 225. Reservatur ergo &
creare & annihilare & transformare species soli Deo o-
mnipotentì: representatio autem lycanthropi vel cujus-
cunq; rei præstigiatorum aliquod glaucoma est Spiritus
infernalis, secundum quod vel aeri condensato imprimi-
t peciem lupi, eamq; homini applicat, vel exuvias luporum
hominibus circundat, vid. Martinus DelRio l. 2. q. 18. Clas-
sen. c. 19. de Intellig. p. 97.

Problema V.

*Utrum demones cum Sagis Venerem ex-
ercere, easq; impregnare possint?*

§ 1. Tetigimus quidem præcedente quæstione le-
vem nonnullorum hominum credulitatem & superstitionem
de Dæmonum operationibus; verum cum & hæc o-
pinio in proposito *ἡνθιῶται* contenta non minus vulgata
quam execrabilis sit illa præcedentè; animati sumus di-
spicere, quidnam sentiendum sit de re ista venerea, quam
dæmones cum aniculis, vulgo habere dictitan-
tur.

§ 2. Videtur alias hæc quæstio nonnihil tricarum
præ se ferre, partim *propter affirmativæ vetustatem*, ejus-
demq; acceptationem, ut inde distinctè etiam omnia de-
scri-

scripta legere habeamus, quasi **dæmon nonnunquam cum**
viris succumbat, & tunc hyphialtes s. succubus, nonnunquam
eum foeminis rem habeat, & tunc ephialtes s. incubus dicen-
dus sit: partim *propter apparentem rei ipsius possibilitatem.*
Quicquid autem sit, nobis absurda prorsus est istiusmodi
sententia, atque negativæ palmam tribuimus, cum plurimis
Autoribus quos allegare charta vetat.

§. 3. *Sive enim natura demonis consideremus*, illa
est spiritualis, & ut carne & sanguine membrisque ad gene-
rationem accommodis; ita quoque appetitu carnali & libi-
dinis pruritu destituitur, ne dicam de forma, quam cum
ipse non habeat spiritus alteri communicare non potest
juxta Metaphysicorum axioma. *Sive impregnationis mo-
dum spectemus*, ille prorsus impossibilis videtur. Nam
licet vel maximè donaremur aliquid exceptioni nonnul-
lorum, ac si fiat talis congressus assumpto corpore, quod
Rivetum & Willetum de incubis & succubis concedere
ferè colligere est; tamen non videmus cum modo lauda-
tis Autoribus, unde semen vel à seipsis vel ab aliis habere
queant dæmones. A se ipsis non habent, carent enim
facultate *θεσπυνη* & *αυξητικη*; neque ab aliis siquidem va-
num est dicere, posse dæmonem vel denato vel obopito
surripere semen, vel profusum colligere, ac deinceps velo-
cissimè matrici immittere, atque promovere imprægnati-
onem. Nam generationem in *viv* fieri probatum est, ut
ita velocitas dæmonis non obstet, quin spiritus vitales e-
vaporent, semenque dum vel morula interveniat, sterile-
scat. Et tandem ponendo, possibilem esse hunc modum,
non spiritui sed homini, cujus semen fuit, generatio veniet
assignanda.

§. 4. Hinc quicquid *vociferentur nugenturque*, sive
magæ *ista vetula*, sive aliunde etiam afferatur de congres-
su dæmonum, imaginaria tamen omnia judicat quivis sa-
nior Philosophus; neque admittere potest quicquam nisi
spiri-

QX II
1925

spiritum istum impurissimum gaudere hominum impuri-
tate, adeoq; ipsos omni ope impellere & allicere ad lascivias
venereas, pruritusq; quoq; affricu excitare in illis, ut sibi
imaginentur realem aliquem libidinis actum. Ex abundantia de
foetibus supposititiis, si ab illis instantia inferri posse
statuatur, hoc addimus: Posse sagarum uterum vel post
imaginariam vel realem *συμβοια* distendi a daemone, ut quasi
prægnantes sibi aliisq; videantur, postmodò verò sanos foetus
infantesq; integros aliunde abduci, quos depravatos ac mutilatos,
non tamen citra imperscrutabilem Dei providentiam, mulierculis
supponat tempore partus vel imaginarii vel realis. Videri
possunt Wierus de præstig. & Godelmanus de Lamiis. Tantum,
Quod superest.

GLORIA IN EXCELSIS

DEO!




van

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LISSIMIS, EXCELLEN-
SULTISSIMIS, PRU-
TISSIMIS
ensium Reipublicæ
NSULIBUS,
ICIBUS,
ATORIBUS,
S PATRIÆ,
Patronis suis Opti-
maximis,
orum suorum specimen
etatis & Observantia Sym-
bolum, quo par est, vene-
rabundo submissoq; animo
consecrat
ELIAS Wünsche/
Autor & Respondens.

